

coctionem, quæ in ventriculo celebratur, & consequentia, ut quæ in intestinis: iecoris autem imbecillitas generat aquam, ideo si vtraque careat prauitate, ructus & crepitus ventris ex prima, verma multa ex secunda generantur. Sed si vitiosum fuerit, & cum caliditate externa iunctum quod gignitur in prima coctione non iam aer & flatus, sed vapor densus, qui venas & arterias permeat, fit in secunda ichores, qui à renibus non recipiuntur ob corruptionem: vnde tympanites ex vno, ascites ex altero accidit. Cur autem primam coctionem aer aut flatus, aut vapor consequatur, in secunda autem aqua, non est arduum inuenire: nam flatus fit à materia tenui & calore vehementi: nam et si castaneæ in igne crepitum edant, humor tamen earum ignis comparatione non solum tenuis est, sed tenuissimus: vtraque autem ventriculi coctionem conueniunt: vnde etiam locus ventriculi multò calidior est coctionis tempore quàm iecoris: in iecore autem ebullitio non fit, neque, feruor, sed calor multus, remissus, quod concoquitur viscidum & crassum aded, ut antequam homo resoluat in flatum cum indigeat calore feruido, qui non adest, absumitur ab eodem. At diarrhææ præsertim, aut epaticæ, & à toto, & à liene in hydropem terminatur rarius quæ à cerebri destillatione pendet, quoniam iecur à caliditate humoris corrupti vitiatur, & ab exitu ac mala nutritione debilitatur: vnde fit hydrops, omnium enim facultatum nulla est cuius opus tantum obsit iecori quam expultrix: cui proprium potius est retinere atque concoquere, quàm expellere. Et, ut breuiter rem peragam, si ascites, de qua magis est sermo, fieri debeat, oportet ut aqua intra peritoneum colligatur, igitur ut non tota trahatur à renibus. Quare quum renes neque fatigentur, quia facultas est naturalis, non animalis, & trahitur guttatim, nec iecur eisdem rationibus in expellendo (ut Princeps quamdam methodum sistam, ut nunc etiam solent, secutus somniat) necesse est ut non trahatur, quia corruptio ichor & sanguis ei permixtus, corruptio autem fit à calore præternaturali: ille igitur cum naturali debilitato ascitem generat. Si ergo non trahitur, & est modicè prauus, expellitur à iecore per mesaræum, & fit profluuium ventris, quod nisi curetur, transit in ascitem necessario, vides causam. Et quodnam profluuium, scilicet aquosum cum humoribus, & aliquando cum vestigiis sanguinis, & quandoque subruptum, quandoque sine hoc inde ut fiat per circuitus, maximè in nocte, & ut sit diurnum. Si verò retinetur, vel ob prauitatem, vel multitudinem expellatur, tamen aduenas fit ascites, ex pedibus inchoans specie leocophlegmatæ, & ascendit ad scrotum & ventrem, & difficilius sanatur prima. Si enim verò ob multitudinem & prauitatem non possit omnino expelli, fiunt vesicæ circa iecur, inde ruptis eis ascites lethalis. Si verò dysenteria contenta sit, indicium est corrupti multi sanguinis, qui dum retinetur similitudinem refert eorum, qui decoxerunt, dum tamen viuunt ob auctoritatem & solertiam non patiuntur bonorum venunda-

Tom. VIII.

tionem vbi mortui fuerint, statim omnia hinc inde distrahuntur effuso enim sanguine, licet maxima ex parte malo vires quæ antea coctionem sustentabant quum aliquid boni semper cum malo euacuetur, collabuntur, & loco sanguinis malus ichor generatur. Sed & si dysenteria vera sit, causam docuit ipse, dum dixit: Quicumque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, hi superueniente longa intestinorum difficultate aqua intercus, aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur. Diximus ergo de hoc in Commentariis suis.

Apparet igitur causa quare pereant eiusmodi homines ex regula generali: quoties enim morbus aliquis lethalis est valde natura propria, & idem fit ex commutatione praua, redditur lethalissimus. At eiusmodi hydropes aut fiunt ex quantauis male liene affecto, nec tamen liene sanato, aut ex iecoris imbecillitate ac intemperie, nec eo etiam restituto, igitur tales hydropes valde lethales erunt.

LECTIO XXXV.

Super

TEXT V.

HYeme verò iunioribus quidem peripneumoniæ, & insanix, morbi: senioribus verò febres ardentes propter ventris duritiem.

Oportet reuocare in mentem quæ superius dixerat (Text. 21.) Hyeme vero glaciata & frigida ac turbata præ niue & glacie, ut pituitosissimæ sint ac rancosissimæ existant. Docet ergo morborum aduentum per ætates non simpliciter ut in æstate, namque iunioribus peripneumoniæ & insanias, senioribus autem febres ardentes, quasi peruerso ordine aduenturas docet. Vnde Alemanus dubitat de hoc Textu. Et quidem dubitare de Hippocratis sententia plane stultum est, præsertim explanatorem, cum iam non habeat quo se tueatur qui librum exponat eius authoris, de cuius fide ipse dubitet, tum quia Hippocrati in medicina saltem summum iudicium fuit: credendumque est hæc non obiter, vel sola ratione confisum scripsisse: sed an hoc scripserit & ne mendum in tot transcriptionibus, in tot seculis irreperit in illius libros, quo etiam modo Alemanum dubitasse reor, non insulsi viri est, cum amentis foret obdurata opinione relinquere rerum varietatem, ut mordici falsam literam si contingat tueamur, quod vitium in ipsis Galenicis nos toties reprehendimus. Ergo ille primum dubitat quod febres ardentes senibus tribuat, cum idem dixerit prima Aphorismorum (14.) Propterea senibus non similiter acutæ febres fiunt, frigidum enim eorum corpus. (3. Apharism. 21.) Et rursus ardentes febres nemo ignorat morbos

F 2